



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

De additione, & dimitutione officij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

propter exemptus, si Officia ejusmodi festorum non recitent, reciter verò juxta suam consuetudinem, v.g. de festo Responde fore reum, si festa Patrum, aliàque in diebus universalia non perdivat, non verò si recitent particularia negligit, quæ tamen, si velit recitare, licet poterit, si quæ oneri satisfaciat. Ratio est, quia ita colligitur ex quadam Bulla Pii V. apud Castro, *cap. 17. de orat. p. 2. n. 8.* quæ licet ad Ecclesias Hispaniarum directæ fuerit, tamen propter paritatem rationis, & convenientiam, quam continet, si ab omnibus observetur, laudabile est.

Hic obiter adverte non posse Episcopum statuere, ut Clerici suæ Diocesis recitent Officium alicujus Sancti Constitutione perpetuè observanda, quia id illis legi prohibetur Greg. XIII. apud eundem *l. c.* Excipe, nisi sint instituta ex vi Rubricarum, v.g. pro Patrono, pro insigni Reliquia, &c. quia tunc jam adest licentia, data per leges Rubricarum. Una vel altera vice propter aliquam occurrentem causam posse puto: Ita Sanchez Nav. Amilla apud Pelliz. in *Man. Regul. 4. r. 5. cap. 8. n. 1. & 12. in simili*: quia id, cum raro contingat, nec multum Brevarii Ordinem perturbet, Episcopi potestatem, cujus est in casibus contingentibus providere, nequaquam transcendit. Ejusmodi Episcopi potestas innotuit in Decreto S. Rituum Congregat. apposito in fronte Brevarii Urbani VIII. de hac ibi: *Non posse licentiam Ordinarios addere calendaris, & ibi: Nec mutare ritum, & ibi: Nihil propria auctoritate constituat.* Hæc enim verba, *constituere mutare*, non quidem notant temerarias institutiones, sed perpetuas. Hanc potestatem pro una, vel altera vice extendit Pellizarius *l. c. tit. 1. n. 12.* ad Praelatos regulares utique pro suis subditis; Induere autem festa Sanctorum quomodo possit Episcopus, unde & consequenter ad Officium talis Sancti obligare, dicitur *infra lib. 4. c. 1. §. 1.*

6. Imò probabile iudico, cum Antonio Quintanad. *tr. 7. sing. 1. & 2. & tr. 8. sing. 1.* Episcopos, vel Ordinarios, etiam Capitulum, Sede vacante, Regularesque Praelatos posse sine novo recurso ad Pontificem, vel Sacram Congregationem in sua Diocesi statuere, ut Missa, & Officium celebrentur sub die de iis Sanctis, in quorum Canonizationis Bulla extant hæc verba: *Et singulis annis dictalis, ejus Officium Brevarii Romani celebrari possit* (extat autem in Bulla Canonizationis sancti Ignatii, Xaverii, Philippi Nerei, & aliorum quorundam.) Ratio est, quia per hæc verba accedit auctoritas Pontificia, (sub nomine enim Officii intelligitur etiam de Missa) quam auctoritatem requirunt Decreta de hac re hæcenus edita. Hoc ipsum possunt Episcopi in qualibet Ecclesia Hispaniarum pro Sanctis natalibus suarum Diocesium, siquidem id illis indulget per peculiarem Bullam Gregorius XIII. atque adeo Episcopi, dum ejusmodi festa statuunt, nihil statuunt sine Pontificia auctoritate, ita idem *ibid. sing. 9.*

Hoc Privilegio concessio Hispaniarum, posse uti etiam omnes Insulas, & loca Regi Hispaniarum subiecta, quibus communicari solet Bulla Cruetate (quidem scimus esse Siciliam) videtur indicare Quintanaduetas, *tr. 7. sing. 2. §. 1. n. 12.* propter extensionem, quam Gregorius XIII. fecit in Bulla *superius* laudata die 30. Decembris anno 1573. quæ præfigitur Officiis Sanctorum Hispaniarum propriis.

Profecto, quia sumus in materia favorabili, ac nemini nocente, & ad cultum Sanctorum spectante; atque propter dictum Authorem id probabile propter alias rationes indicant aliquot viri docti ex nostra Societate à me consulti: idcirco non possum ego huic sententiae refragari, & non putare probabilem, de quo argumento doctam disputationem typis edidit amissimus P. Franciscus Bardi.

Quarta Difficultas.

De additione, & diminutione Officij.

7. Qui notabiliter de Divino Officio dimittit, gra-

viter peccare, quia non satisfacit suæ obligationi, certum est: Qui addit aliquid Divino Officio, nisi animo mutandi ritum addat, satisfacit; quia additio sine ejusmodi animo non mutat substantiam Officij, quod non totum recitari supponitur.

8. Quamvis autem aliquid sic addere, interdum culpa non sit, hoc enim pacto adduntur ad solemnitatem moteta, & cantus inter unum & alterum Psalmum, & in privato Officio semel, aut iterum id præcare sine anipio ritum mutandi, non sit item gravis saltem culpa, tamen, si, ut in perpetuum duret additio, id facias, mortalis culpe reum te constituit Castro Palaus *rom. 2. tr. 7. d. 2. de orat. p. 2. n. 15.* quod id mutationem ritus sapit; sed te liberat Bonac. *rom. 1. d. 1. de Hor. Can. quest. 3. p. 1. n. 21.* quia in privato Officio non facile à bono viro novi ritus susceptio elegi præsumitur. In Missa autem etiam privare dicta (quia ex se publicum est sacrificium) nunquam licere aliquid addi, disputavimus in *nostr. opus. de Sacrif. Missæ, lib. 2. cap. 5. §. 3.*

9. Sed difficultas hic in eo non vulgaris versatur, Equaniam sit officij pars notabilis, quam diminueret, seu omittit peccatum mortale sit.

Pramitto duas esse sententias: alteram communiorē Vasquez, Sarr. Bonac. Garcia apud Metollam mox citandum; dicentem totum unius diei Officium præcipi unico individuo præcepto, unumque esse peccatum totum illud omittit, licet gravius, quam si omitteretur una hora solum, v.g. Matutinum. Alteram Caiet. in *summa, v. Hora Can.* item Less. Toler. aliorumque apud Metroll. *rom. 1. d. 2. cap. 4. dub. 7. n. 13.* asserentem tot esse præcepta, quot horæ, nempe septem, totidemque esse peccata ea omittit. Prior putat præceptum horarum unius diei esse unum, sicuti est unum jejunandi uno die; posterior putat esse plura, sicuti sunt plura præcepta jejunandi diversis diebus.

Unde ex priore sequitur, omittenti omnes horas unius diei satis esse, si in confessione sic se accuset: *Omissi Officium semel*, quod non sequitur ex posteriore, ut in *opusc. Methodi Conf. loco mox cit.* à nobis explicatum est. Ratio autem prioris sententia ducitur ex eo principio, quia una Hora unius diei ordinatur ad aliam ejusdem diei, ita ut omnes Horæ unum integrum, individuumque Officium constituent. Quoniam verò posterior sententia id negat, putatque unam horam ejusdem diei independentem ab alia præcipi, idcirco docet quamlibet horam per se suam obligationem ab alia independentem parere. Utraque sententia est probabilis, sed quia prior animo nostro magis in sedet, in *Method. Confess. lib. 2. cap. 2. §. 4. n. 12.* eandem & nunc amplectimur.

10. Veni nunc ad propositam difficultatem. Nonnulli docent decimam partem alicujus Horæ parvæ, v.g. Completorii esse notabilem partem; ita Moneta apud Bonacin. mox citandum; Alii tertiam; ita Azor. Maldenus, Navar. apud Bonac. mox citandum: Alii medietatem ejusdem parvæ Horæ. Ego sequor Lessium *l. 2. c. 37. dub. 9. n. 52.* & Bonacin. *rom. 1. d. 1. de Hor. Can. q. 5. p. 2. n. 2.* sentientes integram horam parvam esse notabilem partem Officij.

Qui igitur tantum negligit Officij, quantum notabiliter non æquat integram parvam horam, non omittit partem notabilem, atque adeo non peccabit mortaliter. Hoc dictum probant illa duo principia, quod nimirum præceptum officij unius diei sit unicum, ut modò explicuimus, & quod notabilitas, seu gravitas materiæ in præceptis principaliter desumitur ex fine præcepti, spectata tamen etiam quantitate rei, in se, & in ordine ad totum quod præcipitur, ut declaravimus *lib. 1. cum de parvitate materiæ, &c.*

11. Sic autem formari ratio potest: Omittit minus, quam sit una parva hora, non videtur nocere notabiliter fini intento à Legislatore per præceptum de recitando officio, qui est cultus Dei. Rursus talis omissio, nec ex se, & absolute, nec ut relata ad totum Officium unius diei, videtur magna; ergo non est notabilis. Confirmatur

firmatur, quia verosimile non est, piam matrem Ecclesiam velle æternis ignibus addicere eum, qui leviorē partem Officij eā, quā diximus, omittit.

Si modicam tantum partem recites unius parvæ horæ, censis totam negligere, atque adeo mortaliter peccabis, quia ea pars quæ recitata est, cum sit quid parvum pro nihilo reputatur.

Scio aliquem docere omittentem integram Tertiam, vel Sextam, vel Nonam non peccare mortaliter, quasi sit illa brevis hora parva materia in comparatione totius Officij Divini. Sed profecto id, cum sit contra innumeros Doctores, approbare animus refugit. Et ultior ratio fugæ est, quia quamvis alicui appareat esse materiam quid modicum: Tertia, v. g. respectu totius Officij diei, sicut labor per duas horas respectu viginti quatuor horarum totius diei festi, tamen reuera non ita est formaliter, consideratis omnibus circumstantiis, & sine Ecclesiæ, quæ voluit, ut singulis horis aliquid Deo à Sacerdotibus impenderetur, à quo notabiliter deficit qui totam integram horam, quamvis ex se parvam, omittit. Certè Sacerdos non recitans in Missa, Gloria vel Credo, quid modicum negligit: at si omittat in Canone tot versus, quot numerantur in Credo, grave quid omittet, ut omnes docemus, nempe ob circumstantiam illam quod sint verba potissimæ partis Sacrificij. Rursus, oculus, vel manus, vel pes, parvæ partes singulæ sunt, respectu totius corporis, tamen, qui unum ex illis amputat, irregularis fiet per omnes Doctores. Non ergo respicienda sola est ipsa parvitas materialis, sed cetera omnia, ut prudenter iudices, utrum grave sit, vel leve quod omittitur.

Si omittat quis Vesperas Sabbati sancti ex peculiari ratione, non audeo affirmare eum peccare mortaliter, quamvis integram horam omittat. Nam eæ Vesperæ, & extrordinariam habent parvitatem, & ex alio capite pro illo die tantæ lætitiæ, atque Indulgentiæ, & in quo præcesserunt in Ecclesiâ satis proluxæ orationes, non est parandum notabiliter lædi finem, & præceptum orandi.

12. Quod dictum est de Officio privato, die (ut id obiter hic notem) de Officio in Choro (quamvis adversari nobis Suarium loco citato sciam.) Ita Bonacin. *ibid.* Ratio est, quia non est diversum præceptum quoad substantiam, illud, quo tenemur, recitare in Choro ab eo, quo tenemur privatim, ergo nec est diversa gravitas, vel levitas, quoad ejus materiam.

Quinta difficultas.

De Officio Defunctorum, & de Litanis.

13. Non obligari Sacerdotes utentes Breviario Romano hæc privatim, (imò nec in Choro) recitare, obligari autem alio Breviario utentes, dilucidè pronuntiat Pius V. *loc. cit.* lege Pell. *tom. 1. man. Reg. rr. 5. cap. 8. n. 46.* At subdubatur, an saltem in die commemorationis Defunctorum, & quoad Litanias in Rogationibus, festoque S. Marci urgeat obligatio.

14. Probabilis est obligationem urgere, quia tunc illa sunt pars Officij ejus diei, lege eundem *ibid. n. 48.* asserentem Dian. aliisque. Non urgere tamen plures *ibid.* autumant, negantes illa ad Officij illius diei partem pertinere: confirmant, qui Pius V. absolute liberat Sacerdotes à privata recitatione Officij Defunctorum: Quare si rubrica illorum dierum nihilominus illud Officium, & Litanias imponat, quid verat asserere eam esse merè directivam, non verò præceptivam? Non possum à probabilitatis meta hanc sententiam excludere: Superfedeo tamen à longiore disputatione, siquidem illam apud citatos fusè leges.

Sexta Difficultas.

De Officio aliena lingua recitato.

15. Quævis olim à me P. Octavius Tedeschi no-

stræ Societatis Vir eruditus, & doctus, an sibi liceret Psalmos Officij, idiomate Græco recitare, ut sic Græcas litteras, quas apprimè proficiebatur familiaris sibi ex ejus usurpatione, conciliaret? Negative respondendum videtur non paucis. Castro Palauus enim *l. c. n. 14.* licet id semel, aut iterum facere non esse grave delictum affirmet, tamen grave esse ex Bellar. Suar. Sâ. Bonacina, si aliquoties fieri, concludit; Primum, quia sic censetur quis Ecclesiæ Latinæ generalem ritum parvipendere. Secundò, quia, si publice id fieret, præberetur occasio scandalii, & erroris.

16. Profecto, si publice id fiat in Choro, pedibus in Castro Palai sententiam eo. Quale enim scandalum oriretur in Templo Latino, si Græci, vel Hebræi Psalmi decantari deprehenderentur? Idem dico, si privatim, intentione mutandi ritum; id enim, & per se grave est, & graviter prohibetur à Pio V. Idem denique de vulgari lingua etiam privatim, quia ab hac semper abstinentium duxit Romana Ecclesiâ, de qua loquitur Bellar. & Sanchez citati à Castro Palao à me diligenter visi. At verò ad aliquem finem bonum, privatim, & sine periculo errandi, Græco, vel Hebræo idiomate Psalmos, etiam multoties, imò semper in Officio recitare, cum Bonac. *tom. 1. d. 1. de Hor. Can. q. 3. p. 1. n. 15.* asserens id consuevisse P. Massæum Soc. Jesu; lege Escobar *tratt. 3. exam. 6. cap. 50.* & Sâ; & v. *Hor. Can. n. 10.* quos pro se imitandis attulit Castro Pal. *loc. cit.* puto peccatum non esse, & satisfieri præcepto, ad quod ex quocunque titulo obligaris. Ratio est, quia etiam sic retinetur formula Romani præcandi quoad substantiam; hæc enim non tam ex idiomate Latino, vel Græco, quàm ex sensu verborum, & illius dispositione constat.

17. Dixi (ad aliquem bonum finem) nam hoc non intercedente, merito docet Bonac. *loc. cit.* non vitari veniale, quia, utcumque, sit contra consuetudinem Ecclesiæ Latinæ: quamvis, quia est in re accidentaria, & de qua non valet laborare Ecclesiâ credatur (quando privatim sit) leviter solum erretur.

18. Idem Bonac. *ibid.* approbat obligatum ex voto, vel penitentia ob bonum finem majoris v. g. devotionis, (quam fortè quis sentiat in Græca, Hebræa, imò vulgari lingua) recitare sic privatim posse Psalmos, aut alias preces. Admitto hanc doctrinam de Psalmis Græcis, & Hebræis, sed de vulgari distinguendum omnino est. Si enim votum, vel penitentia sit de recitandis *Pater, & Ave*, v. g. eaque tu vulgari lingua orando pronunties, non te reprehendo, imò laudo: quia *Pater & Ave* vulgari sermone translata passim in compendiis Doctrinæ Christianæ ad Ecclesiâ proponuntur: at quia Ecclesiâ, licet Hebræos, & Græcos Psalmos admittat, (unde propterea utiis possumus) nunquam tamen admittit imò damnat, & prohibet vulgares, idè te, si iis vulgari bus utaris, merito reprehendo: quia Orationibus Ecclesiæ nullo modo permissis votum, & penitentiam satisfieri posse, nullus putare rationabiliter potest.

19. Virges, qui Rubricas etiam merè directivas in Missa semper negligeret, censetur illas contemnere, sic Baldelli in *Theol. mor. tom. 2. l. 3. d. 21. n. 3.* unde & graviter peccare, ut in *opuscul. de Sacr. Missæ lib. 2. c. 5. §. 1. n. 9.* à nobis etiam dictum est; ergo idem de eo dicendum, qui Psalmos Latinos semper negligeret: Respondeo, Missa ex se publicum opus est, non ita recitatio, de qua disputamus; Præterea Psalmorum Græcorum recitatio, in nulla negligentiâ culpa est, sed consilium motus illo fine bono formulam, seu modum loquendi, qui in Oratione non est de substantia, omittit, Psalmosque Græcos ab Ecclesiâ non rejectos suscipit; at Rubricarum ille tam ordinarius descriptor, negligentia culpam committit, suâque, ut ita dicam, caeremonias, sibi consingit, in quo bonus adesse finis non potest.